

## Codice Diplomatico Longobardo I, 78

[+] Regnante domno nostro uero excellentissimo Liutprando rege, anno tricesimo, et domno Ilprando, anno septimo, sub die octauo idus maias, indictione tertia decima. Domno sancto et angelorum meritis coequando basilicae Sancti Ambrosii confessoris domini nostri Iesu Christi, in qua uir uenerabilis Aunemundus diaconus custos esse uidetur. Theopertus uir magnificus filius quondam Mauroni de Brisconno presens presentibus dixi: de spe eterna uite salutis anime remedium cogitat, qui in sanctis locis de suis rebus confert terrena, ut a Christo recipiat aeterna caelestia. Et ut uotis meis expleatur dilectio, oblatione meam munera offero, non quantum debeo, set quantum ualeo. per hanc munificentiam paginam largitatis meae a presenti die dono, cedo, trado et mancipo, iure directo transcribo spontanea uoluntatis mee omnes facultates meas, quantas nunc ad manus meas habere uideor aut in [antea ad]quirere potuero, in supradicta basilica Sancti Ambrosii uel custodibus eiusdem, tam presenti quamque pro tempore fuerint, maneat potestate; [id est casa] mea ubi habitare uideor in fundo et uico Brisconno, una cum area, curte, ortoleo et credalia in ipso fundo Brisconno, portione [mea in] integrum, tam campis, pratis, pascuis, uineis, siluis, amenedollaribus, uectualia, aquaria, aquarumque usibus, culto uel inculto, mobile aut immobile seseque mouentibus; ut dixi, portione meam in integrum, aut quantum michi ex parentum successione noscitur aduenire. omnia in predicta basilica uel custodibus eiusdem maneat potestate intredicendi, tenendi, possedendi, fruendi, uel canonice iudicandi; sic tamen, ut, dum ego qui supra Theopertus donator in hoc seculo uiuero, in cellula predicte basilicae Sancti Ambrosii uiuere debeam, ut me nudrire debeas tam presenti custodibus quam [qui in] tempore fuerint, dum ego aduixero, ut absque necessitate et nuditate uiuere possim, salua utilitate mea. Quam uero donationis meae cartulam Protasium notarium scribere rogauit, et subter propria manu confirmo, testibusque a me rogatis obtuli roborandum. Actum Mediolani, sub die et regno et indictione suprascripta; feliciter. + Theopertus in hac donatione a me facta subscripsi. Signum + manus Fortini uiri deuoti filius Todoni de Ceciliano, trestis. Signum + manus Mauricii uiri honesti filius quondam Manichis testis. + Arigauso uir deuotus in hanc donatione rogatus a Theoperto donatore testis subscripsi. Signum + manus Florentioni [..... testis]. + Ego Loentaces in hanc donatione rogatus a Theupert testis subscripsi. [+ Ego] Protasius qui supra scriptor huius cartule donationis post traditam compleui et dedi.